

vero Synaxis ab antiquis ab Eucharistia distingebatur. A charitate Christi ex qua huiusmodi Sacramentum emanavit appellatur *gratia* a Cypriano, Cyrillo, Optato, et Augustino; *Donum* vel *Sancta Dona* ab Auctore Constitutionum Apost. lib. 9. c. 13, a Patribus Concilii Niceni c. 5. ab Epiphano, et in plerisque Liturgiis Græcis. A dignitate qua cæteris Sacramentis supereminet *Sacramentum Sacramentorum* appellatum fuit apud Dionysium de Eccles. Hierar. cap. 3. et apud Bern. in serm. de *Cæna Domini*. A symbolis vero, quibus Christi corpus tegitur, aliquando *Mysterium*, vel plurali numero *Mysteria*, aliquando *Mysteria tremenda*; quandoque *Mysterium fidei*, *Mysterium corporis Domini*, et *Mysterium pacis et unitatis*; interdum vero *Sacramentum*, seu *Sacramenta*, *Sacramentum Dominicum*, *Sacramentum corporis Christi*, *Sacramentum Altaris*, aut *Sacramentum pretii nostri* nuncupatur. Atque hæc præcipue nomina sunt, quibus Eucharistia ab antiquis Ecclesiæ Patribus appellata fuit, (1) ex quibus facile intelligere est, censuisse Patres semper et ubique locorum, Eucharistiam maximum Sacramentum esse, quo verum Corpus, verusque Christi Sanguis continetur, atque hominibus communicatur.

(2) Eucharistiam non solum Orthodoxi, sed omnes fere hæretici pro Sacramento habuere. Si enim Gnosticos excipias, et Manichæos eorum asseclas, atque Messalianos et Archonticos, et alios his affines, qui omnia e medio penitus sustulere Sacramenta, omnes ferme Eucharistiam Sacramentum esse asseruerunt, licet antiqui Pelagiani, ac ætatis nostræ Sociniani vim gratiæ divinæ producendæ eidem concessam esse negaverint. At in assignanda et explicanda huius Sacramenti essentia atque natura, plures errarunt. Catholica Ecclesia docet, per verba Consecrationis a Sacerdote Christi nomine prolata, Panem in Christi Corpus, et Vinum in Christi Sanguinem transmutari, ita ut Consecratione peracta non amplius maneat in Eucharistia substantia Panis et Vini, sed sola substantia Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus Panis et Vini; atque communior et magis recepta apud Theologos nostros opinio est, Eucharistiæ Sacramentum, quod per verba Consecrationis perficitur, atque ita confectum quidpiam permanens manet « esse totum illud aggregatum ex speciebus Panis et Vini simul, et Corpore ac Sanguine Christi constans, quod in Altari ponitur. » Ita vero accepta Eucharistia definiri solet: « Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi ab ipso institutum ad refectionem animæ spiritualem. »

(3) Inter Hæreticos, qui Catholicam de Eucharistia doctrinam respuunt, et præter Socinianos, quos jam nominavimus, et Arminianos eisdem hac in re affines, occurrunt Lutherani et Calviniani, quibus accedunt

(1) De aliis vero nominibus, quibus Eucharistia designatur, aliqua dabit Selvaggius lib. 3, cap. 8,

etiam Anglicani. Lutherani cum Christi Corpore et Sanguine in Eucharistia manere quoque contendunt substantiam panis et vini, atque Sacramentum huiusmodi in mera sumptione consistere, seu tunc tantum fieri præsens Corpus Christi cum substantia panis et vini, cum illud Sacramentum suscipitur. Calviniani vero Eucharistiam meram figuram esse aiunt Corporis Christi pro nobis in Crucem acti, ac Sanguinis pro nobis effusi, quamobrem obstinate negant non solum transsubstantiationem cum Lutheranis, sed etiam quæcumque realem præsentiam Corporis et Sanguinis Christi. Ex Calvinianis plures ex professo scripsere adversus Catholicam de Eucharistia doctrinam, scilicet Albertinus, Matthæus la Roque, Basnagius, et alii, qui improbo labore conati sunt in suas partes trahere non solum Nestorianos, Monophysitas, Iconomachos, atque alias antiquas hæreticorum Sectas, sed omnes fere antiquos Ecclesiæ Patres, et veriti non sunt affirmare, orthodoxum de transsubstantiatione dogma, decimo Ecclesiæ sæculo antiquius non esse. Nec defuere impudentissimi viri, qui affirmare non erubuerunt, Græcos, Armenos, Coptos, Syros, aliosque Orientales transsubstantiationem negare, ac de reali Christi Corporis in Eucharistia præsentia in eadem cum ipsis sententia versari: scilicet ita plebi ac rudi populo imponunt, cum probe norint, nullum ipsis in veris Ecclesiasticis monumentis superesse præsidium.

(4) Contra huiusmodi Novatores plures Orthodoxi Viri docte ac copiose scripserunt. Nos vero paucos indicamus, quorum quilibet omnia diluit sophismata, ac veritatem Orthodoxam in optima luce ponit; ita sane rem tractarunt Natalis Alexander dissertationibus quas adversus Albertinum, aliosque conscripsit, atque Historiæ suæ Ecclesiasticæ inseruit: ita Carolus Vitasse t. 4. tract. *Theologicorum*: ita Benignus Bossuet in operibus contra Claudium conscriptis: ita Arnoldus quicumque sit Auctor operis inscripti *de fidei perpetuitate circa realem corporis Christi præsentiam*, etc., in Eucharistia: ita Renaudotius in vindiciis quas edidit de fidei perpetuitate, quæ duobus voluminibus comprehensæ sunt, quorum primum Anno 1711. alterum vero Anno 1716. Parisiis vulgatum: ita denique Petrus le Brun in Sacrarum Liturgiarum expositione: quibus, præter recentiores nostros Theologos, addere jure meritoque possumus doctissimos Patres Benedictinos Congregationis Sancti Mauri, Sanctorum Patrum opera doctissimis animadversionibus illustrata ediderunt in quibus singulorum de Eucharistia sententiam luculenter exponunt, et a pravus Novatorum interpretamentis vindicant: quod etiam præstitit doctissimus Pater Lequien Dominicanus in editione,

§. 1: cum primis vero consulatur Tournellus de *Euch.* qu. 1, art. 1. (EDIT. BARBIELL.)

quam procuravit operum Sancti Joann. Damasceni (1).

(5) Sed ut perspicue appareat, quam inutiles fuerint hæreticorum conatus, et quam desperata sit eorum causa paucis hic observare sufficiat, Christum Dominum in Evangelio se carnem suam in cibum, Sanguinem vero in potum daturum promississe, ut legere est Joan. 6. atque in institutione Eucharistiæ, accepto in manibus pane, dixisse: *Hoc est Corpus meum*, atque accepto deinde Calice, dixisse iterum: *Hic est Sanguis meus*, etc. Dubitari non potest, quin divinæ vocis virtute Panis in Corpus, et Vinum in Sanguinem transmutari possit. Si enim divini verbi virtute res a nihilo ac Universus formatus fuit, quis dubitet, quin hæc eadem virtute contingere hæc transsubstantiatio possit? Ita sane post Chrysost. (2) argumentatus est Damascenus. Nil ergo obstat quominus hæc Christi Domini verba, *Hoc est Corpus meum*, ita intelligantur ut divina virtute substantia panis in Christi Corporis substantiam transmutata fuerit. Fac vero, Ecclesias omnes, omnesque Patres semper et ubique locorum docuisse, verba illa ex Christi ore profecta, *Hoc est Corpus meum*, a Sacerdote Christi nomine prolata, huiusmodi transmutationem perficere, quis dubitabit, quin Christus instituendo Eucharistiam promissum illud adimplere voluerit, quo discipulis suis pollicitus erat, se daturum Carnem suam in cibum, et Sanguinem in potum, et quin Eucharistia verum Christi Corpus, verusque Christi Sanguis habeatur? At ita se res habet: Nam Ignatius Martyr vir Apostolicis cœvus in Epistola ad Smyrnæos hæreticos illos improbat, qui non confitebantur « Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est. » Justinus itidem Martyr in Apologia, quæ secunda dicitur pro Christianis edita, ait: « Per preces verbi a Christo profecti, scilicet per hæc quæ Christus pronuncia- vit verba: *Hoc est Corpus meum, alimoniam unde sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius verbi Jesu*

(1) Auctoribus n. 4. pro Catholico dogmate percensitis, præter Cardinales Bellarminum, et Perronium, qui sane primi nominandi videbantur, adde Tourne- lium, et P. Scheffinacheri Epistolas Gallicæ Argentorati excusas, atque Italice quoque versas de præcipuis nos inter, et Protestantes controversiis. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Pro Catholico Eucharistiæ transsubstantiationis dogmate jure n. 5. indicatur S. Joannes Chrysostomus. Nihilominus Lutherani Chrysostomo duce se illud oppugnare gloriantur ob ejus ad Cæsarium epistolam, ex Florentino S. Marci Codice erutam. Sed quam inanis sit hæc Luthericolarum gloriatio, doctissimi e Nostratibus Viri demonstrarunt, Marchio Maffejus in opusculis historiæ Theologicæ additis, cujus animadversiones excerptis, ac Latine reddidit P. Constantinus Roncaglia, Harduinus de *Sacram. Altaris*, Montfauconius in monito ad hanc Epistolam, et Bollandianus Stiltinghus tom. 4. Septembris in Vita S. Joannis Chrysostomi. Roncaglia, et Stiltinghi hac de re opuscula Franc. Ant. Zaccaria in Thesauri sui Theologici tom. X, intulit. 2. 839. et 893. (EDIT. BARBIELL.)

(3) Inter Patres qui idem Transsubstantiationis

carnem et Sanguinem esse. » Similia habet Irenæus lib. 4. *contra Hæreses* cap. 32. 34 et 57. Eadem, et iis quoque clariora occurrunt in Patribus sequentium sæculorum quorum auctoritates videri possunt apud supracitato- rum Scriptores (3).

Patribus accedunt antiquæ Liturgiæ, in quibus preces continentur, quas Ecclesia a primis temporibus in Eucharistia confi- cienda adhibuit, licet fortasse ante quartum sæculum literis consignatæ non fuerint (4). In omnibus huiusmodi Liturgiis preces occurrunt, quæ aperte designant, per invisibilem divini Spiritus operationem panem in Christi Corpus, et vinum in Sanguinem transmutari, ut vel ex iis paucis, quæ de Eucharistiæ forma paulo infra dic- turi sumus apparebit. Accedit etiam omnes omnino Christianos, qui Liturgiis ab anti- quis profectis utuntur, in Eucharistia trans- substantiationem, et veram realemque Christi Corporis, et Sanguinis præsentiam agnos- cere, et venerari. De Ecclesia occidentali res omnino comperta est, cum nemo igno- ret, primum ab Apostolica Sede, ac deinde a Tridentina Synodo damnatos fuisse Lu- theri aliorumque Novatorum errores, qui cum Fide in eorum Liturgiis expressa pugnant. Notum itidem est, quot quantas- que turbas excitaverit Berengarius, dum undecimo Ecclesiæ sæculo, vel de reali Christi præsentia in Eucharistia dubitavit, ut nonnullis visum est, vel cum substantia panis istud manere voluit. Sat enim innuere est, tot fuisse adversus Berengarium coacta cum Romæ, tum etiam in Gallia Concilia, ut nullus unquam error tot in Conciliis intra paucos annos proscriptus fuerit: Nam ab anno 1050, in quo sub Leone Nono Roma- num Concilium adversus Berengarium co- actum fuit, ad annum 1080, in quo celebrata fuit Burdigalensis Synodus, quæ ad sanio- rem mentem Berengarium reduxit, decem Concilia occurrunt, in quibus Berengarii error damnatus fuit. Ex quo profecto appa- ret quam detestabilis, et quam contraria

dogma defendunt, peculiaris S. Ephræmi mentio faci- enda est. Nam Johannes Kohlius in Academia Pe- tropolitana historiæ Ecclesiasticæ Professor binos S. Diaconi sermones de Sacra Cœna Altonaviæ in Moscovia hoc sæculo edidit, hisque adnotationes ad- jecit, in quibus Ephræmum contendit cum Lutherani- sensisse panem in Eucharistia cum Christi cor- pore componi docentibus. Sed bene est quod Cl. P. Petrus Benedicti in celebri Romana Ephræmiano- rum operum editione Kohlii adnotationibus An- titheticis opposuit, quod etiam habes in citato Thesauri Theologici tomo. Illud ergo auctor sum. ut legas; videbis, impudentissimam calumniam fuisse Magno Ephræmo a Kohlio impactam. (EDIT. BARBIELL.)

(4) Auctor articuli, quem nostris hisce additamen- tis illustramus, dubitare videtur, an Liturgiæ ante quartum sæculum literis consignatæ fuerint. Frustra tamen, licet Renaudotius, alique pauci id negarint. Suo loco V. *Liturgia* singularem hanc opinionem refellemus. Interea vide P. Lesleum Præf. in Missale Mozarabum p. 58, et Zachariam *Bibl. Ritual.* tom. 1. p. 85, eaque tribus Tomis Divis. Venal. apud Barbiellini. (EDIT. BARBIELL.)

habita sit universæ Ecclesiæ Fidei Berengarii hæresis.

Hanc vero de Eucharistia fidem Romanam, et Occidentalem Ecclesiam ab Apostolis per Antiquos Patres accepisse, tum ex eo liquet, quod statim, ac semper errores proscripserit, qui eam labefactare aut maculare possent; tum etiam ex eo, quod omnes Orientales Ecclesiæ tot a sæculis ab ejus communione separatæ in eadem cum ipsa fide consentiant. Occurrunt enim in Oriente Photiani, sive Græci Schismatici, Armeni, Copti, et Syri Jacobitæ, qui vel ab ipsa Chalcedonensi Synodo, vel paulo post a Romanæ Ecclesiæ communione defecerunt, et Nestoriani, qui Nestorium sequuntur damnatum anno 431, in Ephesina Synodo. At ii omnes Orthodoxam de Eucharistia fidem profitentur, ut ex eorum Liturgiis, et Libris demonstratum est ab Auctore Perpetuitatis Fidei, a Renaudotio, ab Assemano, et ab aliis Orientalium linguarum peritissimis viris, qui de earum fide, et religione scripserunt; et ut etiam constat ex eorum fidei confessionibus, quas illarum gentium Episcopi, et Patriarchæ ediderunt, postquam moniti fuere de nostrorum Novatorum erroribus circa Eucharistiam, deque calumniis a Lutheranis, et Calvinianis adversus eorum fidem divulgatis. Horum fidei confessiones recensentur omnes in supracitato opere de Fidei Perpetuitate; Editæ vero a Græcis a Samuele Schelestratio græce et latine, Romæ vulgatæ fuerunt typis Congreg. de Prop. Fide duobus voluminibus in f. quorum titulus est *Acta Ecclesiæ orientalis adversus Lutheranos*. Hæc pauca satis visa sunt ad rem nostram; nunc reliqua persequamur.

§ I. De Materia.

(6. Materiam Eucharistiæ Orientales omnes fatentur esse panem triticeum (Artotyritæ enim, sive caseum, vel lac cum pane adhibentes jam fuere ab universa Ecclesia damnati: *Concil. Carth. III* et *Constantin.* an. 680.) ac vinum de vite; dissident vero tum a Latinis, tum invicem circa panis qualitatem. Nam eorum plerique solo fermentato, nonnulli vero cum Latinis azymo pane utuntur. Primum dicemus de iis, qui azymum adhibent, tum de aliis.

(7. Azymo pane utuntur Æthiopes sive Abyssini feria quinta in Cœna Domini, ut Christum imitentur, qui in azymis Eucharistiam confecit. Ita rem narrat Ludolf, in commentar. histor. Æthiopicæ, et Monachus Ordinis Sancti Antonii in declaratione coram amplissimis Cardinalibus facta anno 1594. « Rogatus an Æthiopes celebrent in pane fermentato, vel in azymo, et quid sentiant de celebrante in azymo? Respondit, Æthiopes in fermentato celebrant, et illi, qui in azymo celebrant, conticiunt etiam. Et nos in tota Æthiopia feria quinta in Cœna Domini singulis annis in hujus rei memoriam in azymis celebramus. »

Chaldæi, qui in Malabaribus sunt, ex quo

Latini in illas regiones penetrarunt, azymum adhibere solent. In Concilio Diamperensi anno 1599. statutum fuit, ut in azymo tantum consecrarent; ac etiam antea, teste Josepho Indo *Navigat. novi orbis* cap. 134. dum id consequi possent, azymo utebantur, hoc est, dum in Latinorum Ecclesiis celebrarent, ut scribit Asseman. t. 2. *Bibl. Orient.* part. 2. pag. 290. Ex Græcis Monachi Cryptæ Ferratæ, et Presbyteri Collegiatæ Sanctæ Mariæ de Grafeo nuncupatæ, ex pontificia dispensatione azymum panem adhibent.

Apud Armenos, et Maronitas azymorum usus vetustissimus est. Non desunt auctores, qui censeant, per plura sæcula, tum in Occidente, tum in Oriente, promiscuum fuisse azymi ac fermentati usum, ac Armenos, et Maronitas ex iis esse, quibus ab antiquo placuit azymum potius ad Christi imitationem, quam fermentatum adhibere. Sed, ut se res habeat, certum est, Armenos, et Maronitas, a mille, et amplius annis azymum adhibere. Galanus to. 1. *Concil. Eccles. Armen.* de Joanne Armenorum Patriarcha scribit: « Hic jussu Homaris Saracenorum Ducis, et auxilio Caliphe Babylonis Synodum congregavit in Urbe Monascherti in confiniibus Halicanæ Provinciæ, ubi convenientibus cum Armenis sex Assyriis Episcopis, definita fuit in Christo una natura, una voluntas, et una operatio, fueruntque a Sacris ablata mysteriis fermentum, et aqua. » Constat vero, Homarem Saracenorum Ducem regnare cœpisse ann. 634. atque occupata Arabia, Damasco, Hierosolyma ac tota Assyria obiisse ann. 644: quamobrem jure atque merito conjicimus, circa annum 640. antedictam Synodum fuisse coactam. Igitur plusquam quinquaginta annos ante Trullanum Concilium ann. 692. celebratum, decretum de usurpandis azymis ab Armenis editum fuit. Brunus vero opinatur, sex illos Assyrios Episcopos, qui Synodo supra nominatæ interfuere, usum consecrandi in azymo apud Maronitas statuisse. Quamquam in Trullana Synodo Canone XXXII. damnati fuerint Armeni, quod aquam cum vino in sacro calice non miscerent, tamen ob azymi usum non fuere reprehensi, vel quia Patribus illis exploratum erat, plures alias Ecclesias azymum tunc consuevisse usurpare, vel quod norint, facile respondere potuisse Armenos, id se statuisse, ut Christum, qui in azymo Eucharistiam instituit, imitentur, ut ait Brunus *dissert. de Liturgia Armenorum*. Neque id mirum videri iis poterit, qui animadvertunt, Photium, qui multo leviora Latinis objecerat, nullam circa azyma movisse litem. Nam ex Rabano Mauro, qui ante Photianum Schisma, quod cœpit an. 866. e vivis excessit, scilicet an. 856. et ex Alcuino, qui eodem sæculo vixit, exploratum est, Latinam Ecclesiam Photii ætate azymo pane uti consuevisse. Photius vero id in Latinis non reprehendit, quod ea, qua pollebat antiquitatum Ecclesiasticarum eruditione, apprime agnoscerent, antiquam hanc Latinorum consuetudinem gravissimis fuisse ratio-

nibus obnixam, ac totius Ecclesiæ judicio, et Christi exemplo comprobata (1).

(8. Sed post duo circiter sæcula Græci rerum Ecclesiasticarum imperiti, odio illo, quod in dies in eisdem erga Latinos crescebat, incitati, azymorum usum damnare cœperunt. Michael Cærularius, Patriarcha Constantinopolitanus omnium, primus Latinorum azyma damnavit, ineptamque esse Eucharistiæ materiam constituit: atque eodem fere tempore, quo illa adversus Armenos prodire scripta, quæ refert Cotelerius in *notis ad Constit. Apostolic.* libr. 2. cap. 14. et lib. 5. cap. 13. quorum alterum, quod Sancto Niconi tribui solet, inscribitur, *De impia pessimorum Armenorum Religione*; alterum vero *Renunciatio Hæreticorum Armenorum, quomodo debeant anathematizari, cum ad fidem Orthodoxam redeunt*, in quibus operibus Armeni ob azymorum usum damnantur. Si conjecturis uti velimus, haud difficile nobis erit hujusmodi Græcorum erroris originem detexere, atque explicare. Cum canone 70. ex iis, qui Apostolorum nomine circumferuntur; canone 11. Trullanæ Synodi, aliisque Orientalis Ecclesiæ canonibus, Orthodoxi azyma a Judæis accipere, ac Judæorum azyma comedere prohibeantur, ab hujusmodi prohibitione Græci rerum Ecclesiasticarum imperiti dum immoderato quodam studio reprehendendi, ac damnandi Latinos ferrentur, occasione nacti sunt damnandi azymorum usum, ac statuendi azyma ineptam esse Eucharistiæ materiam. Liqueat id ex nota, quam 11. Trullanæ Synodi canonis adjecit Matthæus Blast. Quamquam ea, quæ exposita sunt, satis superque ostendere videntur, utramque Ecclesiam censuisse, semper aptam esse Eucharistiæ materiam triticeum panem, sive is azymus sit, sive fermentatus; tamen, ut clarior fiat orthodoxa hæc de re fides in Florentina Synodo inculcata, per hæc verba: « Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altari ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem, » paucis demonstrabimus adversus Photianos ac Syros Nestorianos nonnullos, etiam panem azymum aptissimam esse hujus Sacramenti materiam.

Primum, quia panis ille, quem universa Ecclesia semper habuit pro apta Eucharistiæ materia, aptissima est hujus Sacramenti materia. At ita se habet azymus panis; ipsius enim usus antiquus est in nonnullis Orientalibus Ecclesiis, ut supra ostendimus, antiquior vero in Ecclesia Latina: non solum enim constat ex Rabano Mauro, et Alcuino supra citatis, ante VIII sæculum omnium Latinorum Ecclesias in azymo celebrasse; sed Leo Papa IX, in Epistola ad Michaellem Constantinopolitanum Archiepiscopum scripta anno 1054, c. 5, scribit: « Ecce jam post mille ac ferme viginti a Passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana

Ecclesia, qualiter memoria passionis sit recolenda; » et Cardinalis Humbertus: « Vestra duplicitas suo fermento contenta Romanæ et Latinæ simplicitatis azymum extorquere nequit; » et infra: « a prima scilicet Ecclesia ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit. » Similia habent Gregorius VII, et Innocentius III, *de Myst. Missæ*, cap. 2, ubi ait: « Ab ipsis ergo Beatis Apostolis Petro et Paulo, quos et vivos habuit, et defunctos custodit, hunc Sacrificii ritum accepit Romana Ecclesia, quem hactenus invariabili cultu servavit. » Nec ante Michaellem Cærularium, qui furore potius incitatus, quam ratione ductus, azyma damnavit, scriptorem invenire est aut Latinum aut Græcum, qui azymorum usum improbaverit: quod quidem argumentum esse videtur luculentissimum, ante Michaellem utramque Ecclesiam azymi ac fermentati usum juxta Ecclesiarum consuetudinem approbasse.

Deinde quis neget, panem, quo usus est Christus, dum Eucharistiam instituit, aptissimam esse hujus Sacramenti materiam? Constat vero, Christum in azymo consecrasset ex ipsa circumstantia, in qua Sacramentum instituit: ad vesperam enim primi mensis die XIV, dum Judæi Pascha celebrant, nefas erat fermentatum panem usurpare. Nam *Exodi* XII, vers. 15, hæc habentur: *Septem diebus azyma comedetis; in die primo non erit fermentatum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illius de Israel, a primo die usque ad diem septimum*: atque aliunde ex Evangelio liquet, Christum Pascha celebravisse, ut Legem adimpleret. Negari autem nequit, Christum instituisse Eucharistiam in cena illa, quam habuit cum discipulis prima die azymorum ad vesperam: nam *Marci* XIV, v. 12: *Primo die azymorum, quando pascha immolabant, sive, ut legit Syriaca versio, quando sacrificabant Judæi Pascha, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, et paremus tibi ut manduces Pascha?* Et vers. 21: *Manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedixit, fregit, et dedit eis, et ait, Sumite, hoc est corpus meum; Lucas* vero cap. XXII, vers. 7, ait: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erit occidi Pascha; et postea subdit: cum facta esset hora, hoc est juxta Legis præscriptum, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo; ac deinde: et accepto pane, gratias egit, et fregit, etc.* Igitur Christus panem accepit voluitque esse corpus suum, quem Judæi adhibebant, dum die prima azymorum Pascha celebrarent; panis autem hujusmodi erat azymus ut est ex Scriptura manifestum.

Denique Christus Dominus Eucharistiæ materiam voluit esse panem; panis autem nomine venit tum azymus, tum fermentatus, nam, ut omittam, quod pluribus probatum est ex Cornelio, Celso, Plinio, Galeno aliisque antiquis profanis scriptoribus, illis temporibus communem, et vulgarem panem fuisse sive azymum, sive fermentatum; ex

(1) Vide Sandinium disput. 11, de Azymo Græcorum. (EDIT. BARBIELL.)

ipsa scriptura patet, nomine panis tum azymum, tum fermentatum venire; sic *Geneseos* xviii, vers. 6, et 19, vers. 3, panes, quos apud Abraham et Loth dicuntur Angeli comedis, quique infermentati erant, appellatos legimus *panes subcenericios* ἄζυμος ἐντόφρους. Ac passim eadem scriptura panes propositionis commemorat, eosque Græca voce ἄζυμος designat, quos ex *Levitico* xi, vers. 5, constat fuisse absque fermento: ita *Exodi* xxv, vers. 30, et *Matthæi* xii, vers. 4. Hinc Theoderetus in suo opere v. 4, cap. x. *Danielis*, inscitiam eos arguit, qui panem azymum, panis nomen mereri negant, et subjicit: « Panis enim vocatur, et fermentatus, et infermentatus. » Ergo si Christus panem esse voluit Eucharistiæ materiam sive azymus sit, sive fermentatus, apta erit ad Eucharistiam perficiendam materia.

Opponunt Photiani nonnulla sophismata; primum ex Græco vocabulo ἄζυμος, quod azymum panem exprimere nequit; nam « ἄζυμος, inquit Cæularius, interpretatur elevatus, et sursum portatus a fermento, ex sale calorem et elevationem habens. » Deinde, quod azyma, cum insipida sint, vivificum Eucharistiæ effectum significare non possint, et cum Symbola sint tristitiæ, et doloris, quæ Judæis semel in anno usurpanda erant in memoriam miserarum, quas in deserto passi fuerant, in Eucharistia adhiberi nequeunt, quæ est lætitiæ signum. Præterea quod Melchisedech, cujus sacrificium Eucharistiæ figura erat, non azymum, sed fermentatum panem obtulerit. Demum, quod Ecclesia, ut ex supra citatis canonibus liquet, semper Judæorum azyma prohibuerit, quodque Evangelio promulgato, Judæorum cæremoniæ, inter quas usus azymorum recensetur, prorsus abolitæ sunt. Hæc sunt Photianorum sophismata, quibus probare contendunt, azymum esse ineptam Eucharistiæ materiam.

Sed videamus, quam inepta, et imbecillia sint. Ad primum quod spectat, ad hunc modum Cardinalis Humbertus respondit: « Illud quoque, quod azymum negantes panem esse, per etymologiam ejus nominis, quod est ἄζυμος, conamini nos vincere, sciat omnino vanum, et puerile, quia et a linguarum peritis diversæ etymologiæ dantur ex uno nomine, secundum humanum placitum magis, quam secundum naturam rerum. » Accedit etiam, quod aliam hujus nominis explicationem tradant Eustachius, Hallandius in Bibliotheca Photii, Suicerus, et alii, nec unum reperire est eruditum virum, qui Cæularii etymon probet. Præterea jam supra ostendimus, vocabulum ἄζυμος in Scriptura adhiberi ad significandum quoque azymum panem, idque confirmari potest ex iis, quæ habentur *Luce* xxiv, vers. 40, ubi panis quem fregit Christus coram discipulis euntibus in Emmaus, qui erat procul dubio azymus, ἄζυμος appellatur.

Ad alterum dicimus, inter materiam, ex qua Sacramenta constant, et effectum, quem produciunt, debere utique analogiam aliquam intercedere; sed necesse non est ut in

singulis materiæ qualitatibus analogia hæc reperitur. Panis autem sive azymus sit, sive fermentatus, corpus alit, ac vires auget; quod et Eucharistia in anima efficit.

Deinde azyma fuere quidem Judæi doloris signum, sed et gaudium indicabant: ut enim dolores significabant, quos fuerant in deserto perpessi, ita et gaudium, quo afficiebantur ex memoria suæ a manibus Ægyptiorum liberationis. Non absimili ratione Eucharistia cum ob fidelium oculos ponat Christi mortem, quidpiam triste præteritum significat; lætitiæ vero est Symbolum, ut gratiam indicat, qua per ipsam donamur, et ut est certum futuræ gloriæ pignus.

Ad tertium, non negamus convenire Christi Sacrificium cum eo quod Melchisedech obtulit, quod in utroque substantiæ panis et vini materiæ loco fuerint. At ut necessaria non fuit convenientia accidentaria in vino, quod Melchisedech obtulit, cum eo, quo usus est Christus, sicut Photiani fatentur; ita necessarium non fuit ut in pane accidentaria convenientia esset; panis vero azymus accidentarie tantum a fermentato dissidet.

Quod ultimo loco opponunt, cum id sit unde Photianus error oriri videtur, paulo diligentius expendemus: *Canon*. 70. Apostolorum hæc habet: « Si quis episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo jejuna cum Judæis, vel cum ipsis festos dies, vel ab ipsis xenia accipit (ut verbi gratia azyma, aut quid tale), deponatur. Si vero sit Laicus, segregetur. » *Canon*. vero 11. Concilii Trullani hic est: « Nemo eorum, qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel Laicus Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accersat, vel ab eis medicinas accipiat, vel una cum eis in balneis omnino lavetur. Si quis autem hoc facere aggressus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; si autem laicus, segregetur. » Et *Canon* 38. Concilii Laodiceni habet: « Quoniam non oportet a Judæis azyma accipere, aut communicare impietatibus eorum. » En *Canones*, ex quibus Photiani azymorum prohibitionem deducunt.

Quis vero est, qui non videat, ibi non azyma omnino, sed Judæorum tantum azyma prohiberi? Nota res est, Judæos azyma conficere, eaque Religionis causa adhibere. In iis conficiendis non raro lac et ova adhibent, addito quoque saccharo, ex quo delicatulos panes *Mazach hascihra*, azyma dicta, pro ægrotis, et amicis etiam Christianis efformant. Hæc sunt azyma, quæ *Canones* prohibent; hæc vero a Judæis accipere, atque comedere non modo Græcis, sed etiam Latinis, ac Romanis ipsis vetitum est: refert Papadopoli ex Riciul. *de jure Person.* lib. 11. cap. 39. num. 10. et sequent. « Velitum esse Romæ, ne vel sub benevolentia quidem specie Judæi Christianis azyma largiantur sua. » Nec opus est pluribus verbis ad id ostendendum. Nam *canones* de iis aperte loquuntur, velantque tantum eam azymorum comestionem, per quam cum Judæorum impietatibus communicemus. At azyma, quibus Eucha-

ristia a Latinis perficitur, non sunt Judæorum azyma: neque enim vi Mosaicæ legis, sed ad indicandam factam per Christum Eucharistiæ institutionem, et non ut Judæorum cæremonia, sed ut ritus a Christo Domino usurpatus adhibentur.

Præterea *canones* supra relati omnem cum Judæis familiaritatem, et communionem prohibent, ut ex Trullano *canone* liquet: prohibent ergo Judæorum azyma accipere, atque comedere, non solum, ut sunt Hebrææ gentis cæremoniæ, sed etiam ut ab iis dantur in amicitiae contestationem. At azyma, quæ a Christianis fiunt, nec accipere, nec comedere vetant. Quis enim dicat, nefas esse « Christiano placentiam sibi parare, ossulis diem frangere, jentare crustulis? » ut inquit Papadopoli resp. 14, sect. 5. Quis damnabit Apostolum dicentem: *Epulemur non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis?* quæ verba ad literam usum azymorum citra Judaicam superstitionem commendant. Ergo azymorum usus, non nisi ut Judaica cæremonia est, intelligitur.

(9. *Quæres*, quænam sit mystica significatio azymi, et fermentati, ut in Missæ Sacrificio adhibetur.

Resp. Plura sunt, quæ Ecclesia de azymorum usu fidelium memoriæ offert. I. Christi exemplum, qui in azymo consecravimus. II. Azymis indicat tum animæ puritatem, quæ ad digne suscipiendum Christi Corpus desideratur, juxta Apostoli verba 1, *ad Cor.* v, supra relata, *Epulemur*, etc. III. Azymis, quibus nil est corruptionis admixtum, eximiam representat carnis Christi, quæ offertur, sanctitatem, cum azyma ex grano, hoc est ipsius farina, aqua, et igne fiant, granum Christi Corpus, aqua Animam, et ignis Verbum divinum denotat, quod humanitatem ex anima et corpore coalescentem assumpsit. Cardinalis Humbertus causam quoque offert, ob quam Latina Ecclesia azyma fermentato pani anteposuerit, quia in Sacris literis azyma numquam in malam partem sumuntur, immo commendantur potius tum a Paulo loco supra citato, tum alibi; secus vero fermentatum; Christus enim ait: *Cave a fermento Pharisæorum*, et Paulus: *Expurgate vetus fermentum*, etc.

Nec deest in fermentato, quod Orientalis usurpat Ecclesia, significatio, quæ ad Dei cultum fovendum, augendumque conferat. I. Fermenti usa significatur, illius, qui celebrat, mentem ad cælum attolli oportere, ut spiritualia et cælestia contempletur. II. Incarnatio, sive unio hypostatica Verbi cum humanitate, quod Verbum hæc unitione ita sese naturæ immisceat humanæ, quemadmodum farinæ fermentum, quod totam acrimonia sua pervadit. III. Fermenti usu Græci sese detestari profitentur Epionæos, Nazaræos, aliosque Hæreticos, qui primis Ecclesiæ sæculis in Oriente præsertim fuere, ac legalia una cum Evangelio servanda esse

(1) De fermento, cujus et Melchiadis, et Innocentii I, epistolæ meminerunt, consulendi cum primis Ciampinius *de Azymo*, Honoratus a S. Maria tom. 2,

contendebant. Atque hinc factum esse arbitror, ut Orientalis Ecclesia ab antiquis temporibus fermentatum azymis præposuerit.

Nota. Fermenti nomen apud antiquos Ecclesiæ Patres non significat panem fermentatum, sed Eucharistiam, quæ ab Episcopo consecrata ad Presbyteros mittebatur, ut illius participatione se ab Episcopi communionem neutique separatos demonstrarent, ut scribit Innocent. in *Epist. ad Decentium*, cap. 9. Ita enim Eucharistia appellabatur, tum ut hoc obscuriori vocabulo mysterium occultaretur, tum etiam quia Eucharistia Ecclesiis ad quas mittebatur, ex quocumque pane confecta esset, fermenti vicem præstabat, iisque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ cui comiscetur, ut inquit P. Sirmundus cap. 5, *de Azymo* (1).

(10. *Quæres* utrum Latinis fermentatum, et Græcis azymum indifferenter consecrare liceat?

Lutherani, et Calviniani, dum Ecclesiæ præcipiendi, sive ferendi leges auctoritatem adimant, liberum cuique esse docent azymo ac fermentato uti, ac fermentatum azymo præferunt, quod antiquitus usurpatum arbitrentur: vera autem hujus prælationis causa est, quia Latina, ac Romana Ecclesia, cujus judicio damnati sunt, azymum adhibet, ac præcipit unicuique Ecclesiæ, ut suum morem sequatur.

Horum errorem funditus evertimus iis argumentis, quibus in Ecclesia inesse ferendarum legum potestatem demonstravimus. Hic ergo Ecclesiæ præceptum unice profereamus. In Florentinæ Synodi diffinitione hæc habentur. « Sacerdotes in altari ipsam Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem. » Igitur adest Ecclesiæ præceptum, quo Latini in azymo, Græci vero in fermento consecrare jubentur. Nec ulla est hæc de re inter Catholicos controversia; sed cum Latinus spectari possit prout versatur in Orientalium partibus, et Græcus prout moram facit in Latinorum locis, ubi non sunt proprii Ritus Ecclesiæ.

(11. *Quæri* ulterius solet, num Sacerdos Latinus in locis Græcorum, ac Græcus in Latinorum urbe possit Eucharistiam juxta loci ritum consecrare.

Responsio ex iis, quæ de obligatione manendi in semel suscepto ritu disputavimus, facile patet. Nam si Latinus etiam in Oriente, qua ratione potest, tenetur proprium ritum servare; et si Græcus in Latinorum locis eandem obligationem retinet, quin ritum inconsulta Apostolica Sede mutare possit, palam est, Græcum in Latinorum locis, ac Latinum in locis Græcorum teneri ad proprium ritum servandum, dum Eucharistiam perficiat; neque enim, ut ibi ostendimus, a loco pendet lex illa Ecclesiæ, quæ proprium cuique ritum servare jubet. Sed circa obligationem servandi proprium ritum in celebratione Eucharistiæ, peculiare quoque adsunt Ecclesiæ leges. Præ-

Animadv. in neg. Critic. lib. 4, diss. 4, art. 5, et P. Constantius tom. 1. *Epistol. RR. PP.* ubi de duorum illorum Pontificum epistolis, (EDIT. BARBIELL.)